

Patriarcham. Et tunc idem Antonius Patriarcha, videns rebelles nolentes ei obedire, cepit guerram cum eis; & multa dampna intulit eis, & ipsi e contra; sed multo majora damna, & pericula inimici ejus pertulerunt. Benedictus vero, qui putabatur Antipapa, resignavit, & noluit vocari amplius Papa, & ivit ad partes suas. Eo vero anno mortuus est idem Alexander Papa in Civitate Bononiensi, & ibi sepultus. Post mortem vero dicti Alexandri electus est in Papam Cardinalis Bononiensis, cui impositum est nomen Johannes. Et idem Johannes confirmavit eundem Antonium supradictum in Patriarcham. Illo vero anno Civitatenses dediti sunt Comiti de Ortenburg, eique adhaeserunt cum omnibus collegatis suis, & idem Comes venit Civitatem Austriae plusquam cum ducentis equis. Et cepit Montem Falconem, & imposuit gentem suam intus, & expulit omnes populares & maiores, exceptis quatuor: & obtinuit eundem locum fere per duos annos, & plus. Similiter Carnea, Tulmentium, Glemona, Spilimbergh, Valvesonum, S. Vitus, Brunera, Purcilius, Maranum, & omnes trans Tulmentum obediebant illi Comiti, tanquam Vicario Imperatoris, excepto Utino, Castello Porpeti, Sacilo, & aliis paucis locis, & Willis, qui fere omnes fedes erant. Patriarchae propter invidiam Civitatensem. Anno Domini M. CCC. X. die ultima Augusti incepit guerra inter Civitatenses & Utinenses. Nam antea non habuerunt guerram ad invicem; sed tantummodo Patriarcha litigavit cum eis, & e converso propter inobedientiam illorum rebellatorum partium adversarum. Nam idem Patriarcha etiam bellatus est cum inimicis suis fere per duos annos & plus, antequam Utinenses diffidarent Civitatenses; & duravit guerra illa per duos menses integros. Hoc tempore die X. Septembris Glemonenses cremaverunt villam Tercenit, & domos D. Domini, quas edificare fecerat de novo, ipsas funditus ruinaverunt. In mense Augusti, antequam Utinenses diffidarent partes oppositas, Castrum de Pers captum fuit a gente D. Patriarchae, & similiter Fontana-bona. Et post paucum temporis spatium quidam Longobardus proditor, existens tunc Capitanus ejusdem Castrorum, proditorie foro & pretio mille Punicorum tradidit eundem locum Glemonibus; & postmodum clam recessit ad partes suas. Castrum vero Fontana-bona remansit in potestate & dominio Nobilis Viri, & valorosi militis D. Tristani de Savorgnano; & ipsum multum fortificavit, & tenuit pro se. Domini vero, & Dominæ ejusdem loci expulsi sunt; nec fuit eis datum quicquam, sed post aduentum D. Pipo restitutum est eis Castrum. Anno Domini M. CCC. XI. die ultima Februarii expiarunt treugam inter utrasque partes; & decem diebus post, & die XXI. Aprilis incepit iterum guerra. Item die III. Junii Civitatenses cum exercitu suo aggressi sunt villam de Mortegliano, & villam Puccio. Illo die gentes Utinensium irruerunt in eos, & multi cæsi sunt parte utraque, & multi vulnerati: & caput, sive ductor gentium Utinensium captus est a Civitatibus fere cum viginti aliis, & conducti fuerunt ad Civitatem Austriae; sed post tres dies dimiserunt eos remeare ad Terram Utinam, exceptis burgensis & aliquibus rusticis, quibus imposuerunt compositionem sive tagliam. Item XXI. Julii factæ sunt tregue inter Utinenses & Civitatenses & partes adversas per X. dies, causa recolligendi bladum, quod in campis & villis erat; & die XXIII. Julii fuit magna tempestas in Utino, & die præcedente fuit magnus Imber, si- ve inundatio aquarum. Tunc prorogaverunt treugas de octo in octo dies, & de decem in decem usque ad penultimam diem Septembris. Et die ultimo Septembris Civitatenses cum quibusdam Ungaris, quos proditorie fecerunt venire in Terram suam, quia omnis fere Patria sperabat pacem habere, & nihil dubitabant quin non esset pax; Civitatenses cum Ungaris illis iterum ad villam Mortegliani iverunt, magnamque prædam fecerunt, villam cremaverunt, & abierunt. Montem Falconem devenerunt, & ibi devoraverunt omnia, quæ spoliaverunt. Deinde venerunt ad villam Paganici, quamque cremaverunt, & derobaverunt omnia quæcumque potuerunt, & abierunt. Ex die VIII. Septembris Ungari, illi venerunt ad portam Utini, quæ dicitur Porta Aquilegia, & multa animalia ceperunt: & ex Ungaris capti fuerunt quamplures, & occisi. Sed ex Utinensibus quatuor capti fuerunt, & unus acriter vulneratus. Item die XII. Octobris exercitus Civitatensium iverunt ad Villam Orbam, Zugliam, Pasgianum, Sclau-nicum; & ibi aliqua animalia spoliati sunt, & abierunt. Item die I. Novembris tregæ factæ sunt inter partes per viginti dies; & die XXI. Novembris expiarunt tregæ; & sic ex utraque parte usque ad octo dies superstiterunt, & non spoliaverunt. Item XXVIII. die Novembris applicuit ad partes Forijuliæ exercitus Domini Regis Hungariae cum XI. millibus, quorum dux live caput erat quidam Florentinus, nomine Pipio. Considerantes autem Utinenses, non posse obsistere contra tam multitudinem magnam equitum armatorum, proposuerunt fere omnes velle obedere D. Regi Hungariae, & deliberatione facta misserunt solemnes embassiators, scilicet D. Michael de Rabato, & alios plures ad dictum D. Pipio. Et ipse idem D. Pipio audivit, & exaudiuit eos, & recepit eos ad obedientiam: & facta pax inter omnes partes Patriæ Forijuliæ die VI. Decembris in die S. Nicolai Confessoris, cuius nomen sit benedictum in secula seculorum Amen. Item die VII. Decembris venerunt Hungariæ fere ducenti, & imposuerunt vexillum Domini Imperatoris super Castrum Utini; & posuerunt simili ter in Castro Utini Iacobum Capitanum, & reliquum Theronicum, nomine Paulus, & reliquias unum ibi, & abierunt. Idem D. Pipio cum exercitu suo subjugavit sibi, & Ecclesiæ Aquileiensis, usque dum veniret unus verus Patriarcha, omnes Terras, omnia oppida, castra, & fortificationes, & omnes obedientiam fecerunt, & similiter obdere D. Comiti de Offemburch, tanquam Vicario temporali D. Regis Hungariae promiserunt.

Tandem homines Patriæ elegerunt cum voluntate Domini Regis Hungariae unum Patriarcham Theotonicum, qui dicebatur Dux Dech Ludovicus: & sponderunt velle ei obedere, tanquam Patriarchæ electo, sed non confirmato. Et post confirmationem factam a Papa, & bullis ostensis, omnes vellent obedere tanquam vero Pastori. Et nota, quod iste Dux Dech destinavit magnam pecuniam quantitatem Rome post recessum olim Antonii Caetani; qui resignavit Patriam, ut superiorius mentionem feci, & fecit dare idem Dux eamdem pecuniam Procuratoribus suis, ut procurarent pro eo ut eligeretur in Patriarcham. Sed unus illorum Procuratorum procuravit tantum pro se, ut fuit Antonius Episcopus Concordiensis, & electus fuit idem Antonius, ut superiorius dixi, in Patriarcham; & idem Dux amisit pecuniam suam. Et quia idem Dux invite ferens injuriam sibi illatam, non cefavat donec misit Comitem de Offemburch cognatum

\* sic col. 18<sup>6</sup> l. 31. M. pergit.

Sed artem dictæ gæsæ approponentes Utinam, Utinenses cum con silio domini Tristani de Savorgnano misserunt ad Venetos, ut sub relaterent eis. Qui Veneti responderunt non posse eis dare subdian quee verba celatae & codicibus prece eatorum postea leguntur.